



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Prima die Avgvsti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

Etitatis fama, ut qua pedes lauisset aquam, rex ipse Hormutij, religionis causa biberet. Sacrificio Missæ adolescentem quendam pene defunctum, à morte reuocauit. Alienata mente mulierem, & à dæmone obsessam, diui Ioannis Euangelio, corpori ipsius imposito, liberauit.

De eodem Gaspare multa exstant tum in suis, tum in aliorum epistolis Indicis. Nos pauca tantum ex Antonij Quadri litteris ex Goa scriptis subiiciemus. Gasparus Flander, ait, cum priscis etiam sanctis committendus, perpetua laude vel hoc nomine dignus est, quod quadam sancta ac facili conuersatione, & morum suavitate, immensum populum ad Deum pertraxit. Ad hæc laborum eius, quos hic breui quidem, quo vixit tempore, pertulit, tantus est numerus, eaque magnitudo, ut illud Salomonis ei plane competere videatur. Consummatus in breui, explevit tempora multa.
Sapient. 4.

a. De eodem Ioannes Viringus in epist. ad lectorem in diario Medicorum Molani ex Maffæo lib. 14. hist. Indicæ. Estque eius vita nuper edita Antuerpiæ an. 1610. conscripta à R. P. Nicolao Trigaule tribus libris, qui eum scribit obiisse die 18. Octobris 1553.

Prima die AVGVSTI.

De sancto Ionato abate Marcianensi.

Ex monumentis loci.

Marcianis, depositio sancti IONATI abatis. Qui eleuatus est sexto iduum Aprilis, tempore Iudith abbatissæ. Fuit autem discipulus sancti Amandi, & eius auctoritate primus abbas Marcianis, omni virtutum decore adornatus, exemplis & orationibus multos ad Christum adducens. Post cuius administrationem fuit is locus annis plus minus trecentis triginta tribus virginum monasterium quibus prima præfuit sanctissima Rictrudis. Est autem Marciana vel Marcena locus

locus amoenitate & pietate celebris, secundo mil-
liari à Duaco in Flandriæ finibus, diœcesis Acre-
batensis.

Quarta die Augusti.

De reliquijs sanctæ Walburgis virginis.

Ex monumentis Furnensium, & aliunde.

IN Germania, natalis sanctæ Walburgis sacræ Meyer. 870.
virginis. Huius autem & fratrum eius, sancto- Eg. de eius
rum videlicet Wilibaldi & Wunibaldi reliquiæ, al- translatione
latæ sunt ex Germania anno octingentesimo se- 1089.
ptuagesimo, per Flandriæ Comitem Balduinum
Ferreum, & magno cum honore Furnis repositæ,
instituto ad id monasterio ordinis sancti Benedi-
cti, quod nunc est Canonicorum collegium die-
cesis Iprensis. Quod autem ad sanctos attinet, Wi-
libaldus fuit per beatum Bonifacium Germano-
rum Apostolum institutus primus episcopus Au-
reatensis, siue Eistetensis. Beatus vero Wunibal-
dus & sancta Walburgis in eadem dœcesi in mo-
naistica vita laudabiliter præfuerunt, & obierunt.
Vnde præcipua sanctæ Walburgis portio habetur
Aeichstadij, in monasterio quod ab ea nomina- Chronolo-
tur, vbi hodie ex eius corpore oleum in subiectum g. a. monas.
argenteum vas miraculosè defluit, quod multis Germania.
graibus morbis medetur. Eleuata est inibi & san-
ctis ascripta, circa annum octingentesimum se-
ptuagesimum, per Odoerum episcopum Aeich-
stadensem, consensu Adriani secundi: & ex He-
denheim, vbi primum fuit abbatissa, ad dictam vr-
bem translata.

*Filia regis erat; sed egenam se faciebat,
Dives ut in Christo regnaret semper in ipso.*

Huius